



Nr. 2 fehlt!

11. Dez. 1954

Lo



15.  
12

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
DE  
CVRATIONE  
PALLIATIVA,

QVAM,  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,  
SVB PRAESIDIO  
DN. D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERI,

SAC. PALAT. CÆS. COMIT. CONSIL. ET ARCHIAT. CÆSAR. S. R. I. NOBILIS,  
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRÆSID. CHTM. PROF. PVBL. ET FACVLT.  
MED. ADSESS. ORDINAR. NEC NON REG. BEROLIN. SOCIET.  
SCIENT. SODALIS,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
ATQVE IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
GEORGIVS LVDOVICVS ROSA,  
ISENACENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,  
HORIS CONSVETIS,  
DIE XI. DECEMBR. M DCC XLII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.



DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

CVRATIA  
PALLIATA

GRATIIS MEDICORVM ORDINIS

DN. D. ANDREAE FELICE  
BUCHNERI

PRO GRADU DOCTORIS

GEORGIVS LA DOTICVS ROSA

IN ACADEMIA MEDICA

MDCCCXXXIII

FRANKFURTII







DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ  
DE  
CVRATIONE PALLIATIVA,  
PRO O E M I V M.

**R**ECTE omnino HIPPOCRATES *Lib. de Arte §. 4.* scribit: *Medicina est morbos ab aegris in totum tollere & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui a morbis victi sunt, curationem non adgredi, cum id in confesso sit, quod medicina tales sanare non possit.* His enim prudens iste Senex duplex Medico consilium haud inepte suppeditat, ut nempe primo *morbos ab aegris in totum tollere, & quantum fieri potest pristinam sanitatem & integritatem restituere allaboret.* Peragitur vero hoc plane diversis modis, prout nimirum

A 2

cau-



causæ morbi & circumstantiæ id expetunt, si-  
quidem illarum remotio medicinæ & omnium  
medicamentorum supremus est scopus & finis.  
Ingens autem numerus eximiaque discrepan-  
tia morborum & causarum illos inducentium,  
diversa quoque medicamenta, distinctamque  
medendi methodum requirebat, dum unicum  
remedium tot morborum schemata remove-  
re haud valebat. Licet enim quandoque unum  
idemque remedium pluribus adpropriatum  
deprehendatur morbis, rarius tamen eadem  
medendi methodus observari potest. Alte-  
rum Medici officium dein statim subnectit  
his verbis: *Et morborum vehementes impetus  
obtundere.* Quantum quidem mihi videtur,  
per hos vehementes impetus vix aliud quid-  
quam intelligit, quam *urgentia* maxime *sympto-  
mata*, unde omnes tunc eo intendere debet  
nervos Medicus, ut, si causa morbi non statim,  
aut nullo modo removeri potest, saltem sym-  
ptomata tollat, aut mitiget, sicque levamen  
quoddam ægrotanti ad minimum conciliet,  
quod quidem consilium antecedenti, tanquam  
primario, semper primum concedit locum.  
Addit



Addit tandem etiam Senex noster cautelam, quæ quidem, nisi amor erga proximum repugnaret, omnino observanda esset, nempe eorum, qui a morbis victi sunt, curationem non adgredi; cui etiam subscribit CELSVS Lib. V. Cap. 26. dum de vulneribus, quæ per tela infliguntur, hæc profert: *Est enim prudentis hominis, primum eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus ut occisi, quem fors ipsius interemit.* At, cum penitus sic transcendat Medicus limites misericordiæ, merito hinc quamdiu spirat ager, tamdiu quoque sperat, suamque opem etiam in desperatissimis casibus ei haud denegat; non raro enim accidit, ut morti proximi & fere in agone constituti, quasi reviviscant, & si non ut perfecte sani, tamen ut valetudinarii vitam diutius trahant. Optime hinc ROLFINKIVS *Consil. Med. Lib. V. Conf. VI. p. 593.* monet, *quod humanum benignumque artis auxilium etiam in desperatis cum morbis contendere jubeat, ut vehementia eorum refrenetur.* Ex hoc fundamento imprimis duplex medendi methodus suam traxit originem, una, quæ causis morborum



opponitur, & altera, quæ, denegato felici prioris  
 successu, symptomata solummodo respicit &  
 imminuit, atque hinc *Curationis palliativa*  
 nomine venit, quam idcirco, auxiliante supre-  
 mo Numine, inauguralis speciminis loco, in præ-  
 sentiarum pro virium modulo delineatam siste-  
 re decrevi, cordicitus simul vovens, ut qua-  
 liscunque hic conatus in divini nominis glo-  
 riam, proximique ægrotantis salutem plenarie  
 vergat.

§. I.

**M**edici officium primario exigit, ut causas mor-  
 borum adæquatis remediis tollere ac remove-  
 re studeat, id quod morbum curare, aut sanare  
 vulgo dicitur.

§. II.

Symptoma est quævis actio corporis humani læ-  
 sa, vel a causa morbi, vel ab alio antecedente sympto-  
 mate dependens.

§. III.

Ex hisce præmissis intelligi facile poterit, quidnam  
*Curatio palliativa* proprie significet. Est nempe *sympto-  
 matum quorumlibet, inprimis autem graviorum qualiscun-  
 que mitigatio, aut remotio, citra respectum ad veras morbi  
 causas, sive cognitæ, sive incognitæ, si nempe nulla arte eæ-  
 dem tollende fuerint.*

§. IV.



§. IV.

Officium Medici primum cum exposcat, ut morborum causas oppugnet, aut, ubi hocce nulla ratione fieri potest, saltem symptomata profliget, vel mitiget, sicuti ARETÆVS *Lib. I. de diuturn. morb. Cap. I.* monet; facile inde liquet, quod, dum omnes sanari non possunt, dolores tamen sedare, morbos intercipere atque obscurare Medico fas sit, siquidem Illustr. HOFFMANNVS *Med. ration. systemas. T. I. p. 40. §. IX.* expresse monet: *Medici est aut morbos in totum tollere, aut insanabiles duntaxat mitigare: hinc morborum veras causas & quibus remediis hæc tollendæ sint, & quare alii sanabiles, alii non sunt, intelligere debet.* Cognitis vero morborum causis, si insimul deprehenderit prudens Medicus, hunc vel illum morbum medicamentis expugnari posse, neutiquam palliative curare debet, quoniam juxta Illustr. HOFFMANNVM *in Idea Med. univers. fundam. p. 57.* pessime ille procedit, & tantum palliative, quæ effectum & symptomata saltem intuetur, causa neglecta; melius vero agit, qui causam morbi adgreditur, & postea symptomata oppugnat; & *p. 78.* Peccat porro, qui non distinguit symptomata, & quæ per consensum fiunt, & effectus causæ morbificæ sunt, a causis & morbo principali, & non radice morbi adgreditur, sed saltem palliative curat.

§. V.

Quam magna autem nunc inter veram & palliativam curationem intercedat differentia, & quomodo una alteri subordinata sit, facile nunc cuilibet adparebit, siquidem hæc ultima non nisi ea, quæ præcipue in sensibus incurrunt, i. e. symptomata, minime tamen verum mal.



mali fontem tollere allaborat; illa autem veram causam indagare, & dein convenientibus & adpropriatis remediis eandem profligare studet. Proinde etiam Medicus vel ex falsis principiis, vel sub incongrua methodo, vel ex falso quodam præjudicio, radicem mali se adgredi autumare potest, cum tamen juxta aliorum judicium, aut sub accurati ori percrutatione, nil nisi morborum accidentia, & causarum producta se destruxisse facile dein perspiciat.

## §. VI.

Duplex vero statim ratione scopi, quem præfixum sibi habere debet Medicus, difficultas occurrit, quæ, quominus alia curationis species locum obtinere possit, impedit: una nempe quoad morbum ipsum in abstracto sumtum, absque respectu ad hoc vel illud speciale subiectum eodem laborans, præsentem nempe tali morbo, cujus indoles & conditio, licet omnem suam Medicus impendat operam, vix unquam solidam admittunt curationem; altera quoad ægrotantem, qui ex nimia morositate, aut vera idiosyncrasia, optima Medici consilia respuit, & absolute ad sanationem necessaria negligit, de quibus inferius plura.

## §. VII.

Morbus absque respectu ad individuum ex triplici fundamento plane incurabilis evadere potest, scilicet I) ex ratione physica, i. e. quod secundum naturam suam in comparatione cum medicamentorum effectibus, & ob viscerum nobiliorum qualemcunque graviolem læsionem, nullum curationi locum concedat. II) Ex metu subsequæntis gravioris periculi, dum nempe morbum



bum quidem ipsum curatu non adeo difficilem fore Medicus prævidet, symptomata autem consequentia, quæ, teste experientia, adhuc supervenire possunt & solent, curationem omnem frustraneam reddere posse probe perspicit. Ubi igitur consequentia majus periculum, quam antecedentia, adferunt, ibi de felici curationis successu dubitandum omnino erit. III) Ubi nulla arte, studio, aut conjectura, morbi causa investigari potest: per superius enim dicta morbi causam tollere, morbum sanare dicitur; quando ergo causa abscondita manet, tunc omnino etiam morbus erit incurabilis, nisi forsitan talis per accidens tollatur.

§. VIII.

Morbos ex ratione physica nequaquam sanabiles in genere humano occurrere posse, nemo forsitan artis peritus in dubium vocabit, pauca tamen exempla, illustrationis gratia, in medium proferre licebit, cum à priori, ob spatii angustiam, id ipsum demonstrare haud valeam. Sunt autem præcipue sequentes horum in numerum referendi: Graviore nempè omnes inflammatoriæ febres, ubi jamjam interne gangræna, vel sphacelosa corruptio invaluit; Febris itidem hæctica, viscerum ulcerationi superveniens, Apoplexia, Hydrops ascites, a ruptura vasorum lymphaticorum proveniens ac jamjam inveteratus, Hydrops pectoris, speciatim sub modo adductis conditionibus, Phthisis cum vera exulceratione, Polypus cordis, imo etiam in aliis partibus nobilioribus vasculosis hærens, venena jam per aliquod tempus in corpore humano latitantia, Hydro-

B  
pho-



phobia, Diabetes a fontica viscerum labe ortum ducens, ac jam jam inveteratus, & complures alii.

## §. IX.

Sanguis in parte quadam in stasin prolapsus, subsequente impetuosiori affluxu & transitu reliquæ portionis hujus humoris, *inflammationem* producit; summus hujus inflammationis gradus *Gangræna* nomine venit.

## §. X.

Dissolutio particularum, mixtionem humorum nostrorum constituentium, in corpore vivo eveniens & corruptionem putredinosam inducens, vocatur *Sphacelus*, cui, nisi cito efficacioribus & generosioribus medicamentis, aut partis corruptæ extirpatione, occurramus, subitaneo corruptionis progressu vicinas quoque partes, imo totum tandem corpus, lethali cum eventu, occupare solet.

## §. XI.

Cujus igitur sint genii *febres inflammatorie*, quibus interna supervenit gangræna aut sphacelatio, ex præcedentibus facile patebit: Si enim secundum experientiam celeberrimorum Practicorum consideramus, quam difficulter externa gangræna sphacelusque curentur, cum tamen liberior ibi pateat accessus medicamentis, quam ad internas partes, excepta saltem ventriculi inflammatione, ubi quidem medicamenta etiam proxime ad locum inflammatum devenire possunt, ob membranaceam autem & nervosam hujus visceris structuram conjunctaque graviora symptomata, raro expectatum monstrant effectum; utique sane exinde facile

le



le elucescet, quam exiguum nobis promittere queamus  
 successum in illorum viscerum inflammationibus, quo-  
 rum situs profundior & remotior prohibet, quo minus  
 medicamenta nondum immutata & alterata ad ea de-  
 ferantur, & suspectæ illius itafeos maturam resolutio-  
 nem promovere queant. Confer. Illustr. HOFFMANNI  
*Med. rat. systemat. Tom. IV. Part. I. p. 334. & 359.*

§. XII.

*Febris hectica* est auctior motus sanguinis, ab in-  
 terni alicujus visceris labe, sive scirrhusa, sive apostema-  
 tica, sive ulcerosa, ut & nonnunquam externarum partium  
 altiori corruptione, ortus & sustentatus. Hinc  
 modo allegatus HOFFMANNVS *l. c. p. 554. §. 11.* scribit:  
*Hectica sunt symptomaticæ, & gravioribus ulcerationibus,  
 vomitis, abscessibus, & viscerum corruptionibus superveniunt.*  
 Probe in prognosi distinguenda venit a febre lenta.

§. XIII.

Ulcus solutionem continui, cum effluxu materiæ  
 ichoroso-faniosæ conjunctam, denotat. Non semper  
 admodum facilis est consolidationis in partibus exter-  
 nis, id quod Chirurghi quotidie experiuntur, siquidem  
 sæpissime adeo refractarie sese gerunt talia, ut præstan-  
 tissimorum etiam medicamentorum efficaciam penitus  
 illudant.

§. XIV.

Ulcus sanatio duobus præcipue nititur funda-  
 mentis, nempe mundificatione & consolidatione. Mun-  
 dificatio absolvitur crassiorum impuritatum ulcerosa-  
 rum absterfione, partium corruptarum, excrescentium,  
 luxuriantium ac fungosarum ablatione, lymphæque



nutritiæ correctione. Consolidatio uti prægressam mundificationem præsupponit, ita exsiccationem, constrictionem, & labiorum coaptationem, & non raro symptomatum quoque, ut nimii adfluxus, fibrarumque debilitatis, mitigationem & roborationem exigit, quæ quidem omnia externe summo studio & labore obtineri possunt, sed exoptatus consolidationis successus sæpissime vel nimis diu protrahitur, vel plane denegatur; interne autem ut plurimum plane impossibilis est & nunquam fere obtineri potest. Quo modo enim ibi ulcerosæ impuritates abstergentur? corruptæ, luxuriantes, ac fungosæ partes auferentur? qua ratione exsiccabitur ulcus? quo consilio constrictio & coaptatio labiorum perficietur? siquidem quædam ex his momentis magnam medicamentorum copiam, loco adfecto immediate adplicandam, requirunt, ex quibus quædam interne nullo modo præscribi possunt & debent, alia autem, quæ ulceri medentur, febrem adaugent, quemadmodum ea, quæ febrem sistunt, ulceri contraria sunt. Instituta ergo comparatione causarum morbi cum medicamentorum effectibus, ac intercurrentibus impedimentis, subjuncta simul experientia, apprehenditur, quod febris hætica perfecta nulla ratione unquam iterum curari possit. HIPPOCRATES *Lib. de internis adfection.* totum morbi decursum sequentibus describit: *Febris debilis invadere incipit, & rigor, & dolent pectora ad dorsum, aliquando etiam tussis premit acuta, & expuit salivam multam liquidam & salsam, & hæc quidem in principio morbi; in progressu vero corpus attenuatur, eruribus exceptis, hæc enim intumescunt, & pedes & ungues*  
*contra-*



contrabuntur, ex humeris autem tenuis & debilis est, & fauces veluti lanugine implentur, & velut per arundinem sibilat, & fortiter sinit per totum morbum, & multa impotentia corpus habet. Hic quum sic habuerit, in anno corruptus male perit, verum studium quam maxime adhibere oportet, ac reficere. Confer. Petrus FORESTVS Lib. IV. obs. III. Sect. I. p. 111. sq. & Illustr. HOFFMANNVS, qui Medicin. ration. Tom. IV. p. 562. ita scribit: Febres, quæ grandes ejusmodi abscessus in mesenterio aque, ac in aliis visceribus, hepate, pancreate, renibus, vesica & utero comitantur & sequuntur, non sunt mites & lenes, sed graves, quæ vires & succos corporis consumunt, omnes heclicæ lethales. Huc quoque morbus ille LICHTSCHEIDIANVS, in Actis Medic. Berolinensium Dec. I. Volum. III. p. 1. ad 29. usque descriptus, referri possit.

§. XV.

Apoplexia est repentina & subitanea actionum tam animalium, nempe sensus & motus, quam vitalium abolitio. Accidit quidem, ut nonnunquam visus & auditus ac pulsus, nec non respirationis vestigia quædam remaneant, mox tamen, nisi subveniat, hæc quoque deficient.

§. XVI.

Causam Apoplexiæ propinquiorem omne id, quod magnam cerebro & præcipue nervorum principiis compressionem inducit, aut quocunque alio modo liquidi nervei influxum sufflammat, constituere solet. Quæcunque igitur alia causa hunc influxum impedit, sive sit venarum & arteriarum infarctus, ex magna congestione, (quam vero causam hic plane exceptam



volo, dum si ab hac apoplexia dependet, medicationi  
 adhuc sæpius cedit, ex LANCISII quippe observatione  
 patet, senem fere septuagenarium, Apoplexiæ prodromis  
 adfectum, copiosissima narium hæmorrhagia, ad  
 duodecim libras assurgente, sanatum esse, sive extra-  
 vasatio sanguinis, aut feri, sive steatomatosum, carno-  
 sumve concrementum, & talia plura ex anatomia præ-  
 ctica cognita, de omnibus his HIPPOCRATES *Lib. II. A-  
 phor. s<sup>mo</sup> 42.* dicit: *Solvere apoplexiam fortem* (i. e. ubi jam  
 extravasatio sanguinis aut feri facta fuit,) *impossibile; de-  
 bilem vero* (ab infarctu & congestione solummodo de-  
 pendentem,) *non facile;* & *Lib. VI. Aphorif. 51.* qui cum  
 modo allegato convenit, signa ac prognosin ejus se-  
 quentibus tradit: *Quicumque sani dolore capitis repente  
 capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem diebus  
 pereunt, nisi febris apprehenderit.* Ponamus ergo, quod  
 extravasatio feri, aut sanguinis, causam obstructio-  
 nis & compressionis constituat, quo pacto hæc di-  
 scuti poterit, aut removeri? per quænam medica-  
 menta, & quasnam vias? In reliquis omnibus, excepto hoc  
 unico casu, si a congestione orta fuerit, nil boni est spe-  
 randum, siquidem ad minimum tales ægri paralytici  
 & hemiplectici evadunt, ac continuo gravioris Apople-  
 xiæ reversuræ, ob remanentem fibrarum debilitatem,  
 retinent metum. Ex his manifestum fore censeo,  
 quantum auxilii, rebus sic constitutis, in Medici dexte-  
 ritate quærendum sit, aut quousque Medici vires sese  
 extendant? certe parum solidi, aut prorsus nihil omni  
 suo studio omnique scientia efficiet. Confer, *Epheme-  
 rid. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. obs. 74. & Dec. II. Ann. X. obs.*



161. *Acta Erudit. Lips. An. 1710. M. April. p. 151.* FORESTVS *obs. Lib. I. p. 406. § 418.* HOFFMANNVS *Med. System. Tom. IV. part. II. p. 179.*

§. XVII.

Ad *Hydropem ascitem* nunc progredimur, qui est tumor abdominis, ab extravasatione feri & lymphæ in dictam illam cavitatem dependens. Equidem non semper actualis adest extravasatio, sed quandoque intra peculiarem tunicam serum retinetur, eaque species *Hydropis saccati* nomine venire solet, aut etiam extravasatum serum proprie non in cavitate abdominis colligitur, sed intra peritonæi duplicaturam fluctuat. Has autem species, quanquam non parum difficultatis sæpius in curatione monstrent, imo interdum nulli prorsus medicamento cedant, adeoque lethalem tandem exitum sortiantur, merito hic intactas relinquo, cum aliqualis reconvalescentiæ spes ad minimum in iisdem quandoque adfulgeat.

§. XVIII.

Quando interim extravasatio lymphæ, aut feri, in quadam parte evenire debet, tunc merito apertura quædam requiritur, quam triplici præcipue modo fieri posse nobis concipimus, nempe vel per *anastomofin*, aut dilatationem pororum vasis continentis, vel per *dierefin*, ubi vera ruptura, aut plenaria disruptio adest, vel per *diaprosin*, ubi vas quoddam arroditur & eroditur. Per *anastomofin* non video, quomodo *Hydrops ascites* oriri possit, vel qua ratione etiam *Hydrops saccatus* & *Hydatides* provenirent; in his quippe casibus vasa lymphatica satis adhuc valida & constricta adparent, &  
si ut-



si unquam per anastomofin Hydrops quidam posset induci, certe nunquam istæ Hydropis species existerent, quoniam sic etiam integumentorum pori dilatarentur, ut serum transudare posset. Quoniam vero dictæ illæ species sæpius occurrunt, hinc omnino modum anastomoseos prorsus excludunt.

§. XIX.

Missa nunc hac specie, qua extravasatio humoris serosi accidere posset, an reliquæ ad producendum Hydropem aptæ, & medicamentis removendæ sint, dispendendum erit. Ante omnia, an in genere ruptura vasis cujusdam interne consolidari possit? & an quoque in specie vasis lymphatici disruptio restituenda sit? jam indagabimus. Ad priorem quæstionem sub certis conditionibus & pro rupturæ qualitate, affirmative responderetur, si nempe in homine alias sano, laudabilibus humoribus gaudente, vasis cujusdam venosi non adeo magni ruptura, secundum fibrarum longitudinalium ductum, occurrit, illa utique convenientibus auxiliis adhuc occludi poterit, imprimis si medicamenta proximius ad partem affectam devenire possunt. Interim tamen non raro accidit, ut nulli artificiali auxilio, imprimis plenaria ejusmodi vasis disruptio, cedat, id quod tot Hæmoptysi laborantium & tandem Phthisi extinctorum, nec non vomitu cruento & aliis hæmorrhagiis incompefcibilibus afflictorum, ubi plerumque mala viscerum conformatio simul subest, exempla comprobant. Circa posteriorem quæstionem res longe aliter sese habet, vasorum quippe lymphaticorum ruptura plerumque sanguinis dyscrasiam, aut visceris læsionem

ac



ac labem, excepto unico casu externæ violentiæ, conjunctam habet; præterea prius eam non dignoscimus, quam facta jamjam notabilis alicujus quantitatis extravasatione, ubi ob diuturniorem in abdomine stagnationem, illa corrupta, & viscera ibidem contenta destructa sunt, sub quo statu serum ad simile coagulum, sicuti sanguis, non est aptum, ut tale vulnus obstruere, & effluxum cohibere possit. In Diaprofi minime omnium spes reconvalescentiæ affulget, quoniam hæc absque summa humorum depravatione, aut vera exulceratione, fieri nequit, unde similes cum iis, quas §. XIV. allegavimus, difficultates subit. Ex consideratione quoque effectuum illorum medicamentorum, quæ sub tali statu adhiberi solent, statim adparebit, nil boni fastique esse sperandum, quippe ea vel tonica, vel mitiora diuretica sunt, adeoque haud sufficient pro ruptura tali consolidanda. Si fortiora in usum trahuntur, tunc ab initio in primis viis statim vim suam exerent, & sic constringendo oscula vasorum chyliiferorum, non intrabunt in massam sanguinis, aut si etiam sanguini commisceantur, facile præsentis jamjam viscerum infarctus & obstructions magis obfirmabunt, per consequens effluxum copiosorem seri ex parte rupta promovebunt. In illo casu, ubi oscula vasorum plane sunt erosa, nulla plane consolidationis spes affulget. Missis autem his omnibus, quotidiana experientia, & tot celeberrimorum Practicorum testimonia idem hoc abunde confirmant. Illustris STAHLIUS, dum de Hydrope a viscerum mala & corrupta constitutione dependente loquitur, in *Theor. Medic. p. 1196.* optime scribit:

C

bit:



bit: *Interim dum non simul ipse quoque fons & origo mali circa viscera ipsa una tolli potest; est proinde tota curatio non nisi simpliciter palliativa & vere, etiam sano sensu loquendo, superficialis; interim in eo probabilissime deficiens, quod ita ipsis utique organis, in structura sua temeratis, neque hæc medicina opem ferre valeat, nec etiam ulla alia huc usque superpetat spes, ut ipsas omnino conformationes eximie mutaret, & in solida structura auctas, iterum destruere liceat nudo pharmaceutico usu.* Quæ omnia quoque ad omnes viscerum graviores læsiones applicari poterunt, sicuti & ea, quæ p. 1197. habet: *Unde nempe utique remedia talem spissitudinem humorum, quod ajunt, fundentia, evacuationem quidem horum promovent: interim fontem, e quo hæc intemperies pullulat, non exhauriendo, aut obstruendo, morbum ipsum non curant, sed productum solum morbosum, quantum possunt, subtrahunt.* Idem illud confirmat Illustr. HOFFMANNVS quando *Medic. rat. systema. Tom. III. p. 370. §. XIV.* dicit: *Ex chronicis porro malis vix ullum frequentius Hydrope perimit, illudque simul variis cum rationibus multisque casibus ex variis probatis Auctoribus confirmat.* Videatur quoque ELLERSVS in *Observ. Med. chirurg. p. 83.* Favente interim fortuna & illæsis visceribus nonnunquam quendam ab hac morborum specie, non admodum autem frequenter, liberari, non plane in dubium vocare volo, de talibus vero casibus hic nobis minime est sermo, sed de statu inveterato.

§. XX.

Progredimur nunc ad *Hydropem pectoris*, seu extravasationem lymphæ, aut seri, vel in utraque, vel una solum-



solummodo pectoris cavitate, qui eandem cum præcedente Hydrope ascite causam agnoscit, unde similis quoque prognosis erit formanda, quod nempe nulla ferme restitutionis spes supersit. Quid enim refert, si aqua per paracentesin evacuatur, nisi fons & scaturigo mali obturetur? Proinde & hæc accedit difficultas, quod nullum adhuc certum ac verum signum diagnosticum & pathognomicum hujus affectus prodest, sicuti Dn. D. JUNCKERVS in *Conspectu Medic. theor. pract.* p. 723. his verbis recte monet: *Certiora de hoc signa non prostant, quod enim de fluctuatione sub decubitus mutatione memoratur, aut, quia talis adfectus etiam alterutrum tantum latus occupare potest, de gravi impedimento respirationis, quando eger in latus sanum recumbit, allegatur, non sufficit ad diagnosin certiore.* Etsi quidem ex BAGLIVII sententia *Lib. I. Prax. med. de Asthmate p. m. 74.* certissimum signum sit dyspnoea, tempore somni potissimum ingravescens, ita ut paucis horis somno consumptis repente è lecto prosiliant, se suffocatione morituros esse putent, fenestras aperiant, libero aëri inhiant; attamen JUNCKERI & plurium aliorum de hoc iudicium certum ac stabilitum manet. Conferri tamen huc merentur ea, quæ Excellentiss. Dn. *Præses in Act. Nat. Cur. Volum. VI. Obs. 50.* de Hydrope pectoris ejusque signis adduxit, Sic quoque GOHLIVS in *Compend. prax. clinic. p. 374.* tanquam signum, sed quod dolendum, lethale, in hydropticis talibus sputum sanguine tinctum observavit, cui subscribit Illustr. HOFFMANNVS *Medicin. rational. Tom. III. p. 152. §. XXXIII.* Silentio etiam non prætereundum est, quod sa pius a polyposis con-



cretionibus, de quibus infra §. XXIII. agemus, talis Hydrops dependeat, prout hoc etiam GOETZIVS in Diff. Altorf. An. 1726. habita, de *polyposis concretionibus variorum in pectore morborum causis*, recte monet. Quod si vero etiam hæc omnia non attendantur, iterum tamen hoc specialem considerationem meretur, quod remedia jam admodum immutata in crasi sua, (licet efficaciora & generosiora sint necessaria, quæ tamen secure adhiberi non possunt,) ad locum adfectum deveniant.

## §. XXI.

*Phthisin* nunc tangit ordo, quæ est pulmonum ulceratio, cum totius corporis contabescencia & febre hætica junctâ. Juvenili ætati illa frequentius præ reliquis accidit, & in ea plerumque admodum periculosa est, ut HIPPOCRATES *Sect. III. aphor. 29.* innuit: *Juvenibus sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis & alii, sed præcipue antedicti; & Sect. V. aphorif. 9. Tales sunt præcipue ætatibus a decimo octavo usque ad trigésimum quintum; nec non Sect. V. aphorif. 40. Qui tabe molestantur, si sputum, quod extussunt, grave olet, injectum carbonibus, & capilli a capite defluunt, lethale; & tandem Aphorismo 14. Tabe laboranti profluvium alvi superveniens lethale.*

## §. XXII.

Phthisis cum consistat in pulmonum ulcere, brevibus quid de ejus curatione sperandum sit, demonstrari poterit, superius quippe §. XIV. ulceris indoles & obstacula interna, ejusdem curationi resistentia, recensita profant, adeoque sub simili causa etiam similis effectus expectandus est. Accedit porro & hoc, quod ulcus



ulcus in pulmonibus, ob continuum inspirationis & expirationis motum, & liberiolem aëris accessum, præ aliarum partium ulceribus curatu longe difficilius sit. BARTHOLINVS *Ad. Hassniens. Vol. III. p. 65.* cur Phthisis difficulter curabilis sit, fusius disserit. *Timæus à GÜLDENKLEE Lib. II. Epist. 2.* ingenue fatetur: *In tota mea praxi, quam 37. annis exerceo, neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuere, integræ sanitati restituere potui, etsi nisi nihil intentatum reliquerim, quod ad curationem hujus mali ullo modo facere poterat.* Confer. Illustr. HOFFMANNVS *l. c. Tom. III. §. XII. & XIII. p. 368.*

§. XXIII.

Accedimus nunc ad morbum incertæ non solum diagnoseos, sed & obscuræ admodum originis, *Polypos* nempe, qui sunt corpora substantiæ quasi membranosæ, satis firma, albedine quadam a sanguine grumoso sufficienter distinguenda, in vasis sanguiferis obvenientia; vel secundum Illustr. HOFFMANNI definitionem, sunt massæ ex variis pelliculis & fibris concretæ, solidiores, cordis & vasorum cavitatibus, præcipue majoribus, inhærentes.

§. XXIV.

Ubi certa signa pathognomonica non prostant, ibi nequaquam morbus sufficienter & debita cum certitudine determinatur, adeoque non ab omnibus aliis rite distinguitur, & per consequens etiam non dantur certæ indicationes, indicantia & indicata. Qualis ergo curatio, si in ipsius dijudicatione fallimur, erit instituenda? Nullam sane perfectam & exquisitam sperandam aut promittendam esse, Medicorum celeberrimi



mi uno fere ore fatentur. Quamquam etiam Illustr. HOFFMANNVS *Medic. rat. system. Tom. III. § XLIII. p. 159.* signa, quæ ad minimum aliqualem probabilitatem subministrant, recenseat, adhuc tamen ambiguitate illa laborant, pluribusque morbis sunt communia. Posito autem, quod etiam certa prostant signa pathognomonica, semper tamen difficultas illa remanet, quomodo hæc concrementa è vasis sanguiferis removeri, aut ibidem resolvi, aut quocunque alio modo absumi possint,

## §. XXV.

*Venena* pariter omni jure huc referri merentur, utpote quæ per aliquod saltem tempus resistentia, vix alium in corpore nostro, quam lethalem, exserunt effectum. Sunt autem communiter materiæ, ultra proportionatam quantitatem œconomiam corporis nostri vitalem corrumpentes & paucis exceptis, subitanam mortem inferentes. Occurrunt equidem in omnibus tribus regnis, nempe animali, vegetabili & minerali, hac tamen sub differentia, ut alia aliis semper sint validiora & perniciosiora.

## §. XXVI.

Venenorum agendi modum hic recensere, aut prolixius explanatum sistere, cum maximæ contradictionis & incertitudinis sit opus, minime jam suscipiam, præsertim quoniam complures eruditissimorum virorum tam ab antiquis temporibus, inter quos laudem DIOSCORIDES meretur, quam recentioribus, ubi WEPFERVS *Tr. de Cicuta aquatica*, FABER *in Strychnomania*, LINDESTOLPE *Lib. de Venenis*, & SCHARFFIVS *Tr.*



*Tr. de natura Venenorum*, inter reliquos capita efferunt, magnam navarunt operam, ac nil nisi symptomata à specialibus venenis excitata, unde tamen non parum utilitatis ad praxin medicam redundat, perferutari potuerunt. Hanc itaque altioris indaginis rem Viris & majori experientia & uberiori ingenii sagacitate præditis, pervestigandam relinquo, ne ultra vires sapere velle videar. Conferatur interim BOERHAVIUS in *Institut. Med.* p. 396. §. 796. ubi egregie scribit: *Agunt quidem venena semper vi mechanica, sed sæpenumero vix explicanda, nisi per principia doctrinæ chemicæ; & paulo inferiorius: Pleraque ideo velocissima in nervos, pulmones, sanguinem, agunt, actione hæctenus minus observata, ideo habitu plane insueto & incomprehensibili.*

§. XXVII.

Agat autem venenum, quocunque modo etiam agere possit, vel principio tenuissimo salino, acri, rovente, fermentativo, vel subtilissimo vaporoso-sulphureo, vel sub quacunque alia forma, hoc tamen per experientiam certum & stabilitum manet, illud semper lethalem edere effectum, nisi cito atque efficaciter succurratur, uti mox exemplum in Hydrophobia videbimus. Neglecto autem hoc temporis spatio nullo alio modo, si adhuc auxilium a Medico postulatur, quam solummodo palliative id obtinebitur: Quod si enim intimius jam penetraverit, motusque vitales magis destruxerit, tunc ipsa etiam præstantissima alexipharmaca & bezoardica plane irrita erunt. Vid. LOBELII *Adversar.* p. 103. WEDELII *amœnit. mat. med.* p. 282. SIM. PAULI *quadrup. Botanic. Class. III.* p. 541.

§. XXVIII.



§. XXVIII.

Ob materiae affinitatem tractationi de venenis ita-  
tim annectimus *Hydrophobiam*, quæ est deliriorum  
species, averfionem liquidorum & splendorum infe-  
rens, a canis vel lupi rabidi morfu, (quo ultimo casu  
*Lycanthropia* vocatur,) vel etiam ab alio, simili morfu  
venenoso infecto animali, inducta. Simplicis aquæ, vel  
aliorum fluidorum oblatio, aut etiam solummodo isto-  
rum conspectus, vel effusio, magnum ordinarie tre-  
morem ejusmodi ægris incutit, ut morti proximi vi-  
deantur, intensissima hinc anguntur siti, & in solido-  
rum assumptione canum mores prorsus imitantur, tan-  
demque motus convulsivi supervenientes tragœdiæ  
huic finem imponunt.

§. XXIX.

Exactiorem causarum deductionem hic adnecte-  
re non suscipiam, cum admodum intricatæ & abscon-  
ditæ illæ sint, adeoque satius esse duco, meam circa  
genuinam earum connexionem profiteri ignorantiam,  
quam obscurorum per æque obscura & incerta mo-  
liri explicationem. Quid autem nunc ex Medici  
ope sperandum erit? vix sane ac ne vix quidem ullum  
medicamentum in hoc casu locum inveniet, cum flui-  
da in totum abhorreant, ita ut ab istorum solummodo  
aspectu, vel audito sonitu, ad deliquia usque angantur,  
sicca vero admodum difficulter ingerantur, quoniam  
absque vehiculo debite deglutiri haud possunt, sicque  
faucibus adhærebunt, ac insuper ob metuendi morsus  
periculum adstantes non facile propius ad ejusmodi  
ægros accedunt. Curta igitur hoc in morbo est Medi-  
ci



ci supplex, parvaque spes reconvalescentiæ, imo & curationes palliativæ vix locum inveniunt, nisi externis quibusdam auxiliis aliquod levamen afferatur, quod tamen æque dubium & incertum est. Multi quidem immersionem in aquam frigidam marinam, vel salinam, tanquam specificum, antequam ipsa Hydrophobia sese exerat, commendant, sed Illustr. HOFFMANNVS illud itidem rejicit, dum in *Med. system. Tom. II. p. 195.* sic scribit: *Ego autem cum CELSO non semper securum, sed valde infidum id esse remedium puto, quia verendum est, ne, ut ait CELSVS Lib. V. cap. 27. infirmum corpus, aqua frigida vexatum, nervorum distentio absorbeat.* Ex omnibus ergo iis, quotquot adhuc prostant, observationibus, paucissimæ occurrunt, ubi lethalem non induxerit eventum perniciosissimus hic affectus, utpote qui usque adeo insuper contagiosus est, ut, referente *Julio PALMARIO Lib. de morb. contagios. p. 321.* rusticus quidam in similem rabiem actus, liberis suis oscula figens, pari lue infectos interneconi dederit. Conf. *LISTERI Exercitat. de Hydrophobia.*

§. XXX.

De *Diabete* parum hic adjiciendum restat, cum jamjam superius, quid præsentis viscerum graviore labe ex Medici auxilio sperandum sit, sub febre hæctica & phthisi indicatum prosteret. Est autem admodum copiosa & frequens urinæ excretio, assumpta longe excedens, cum magna virium prostratione ac siti fere incompefcibili conjuncta. Ab aliis quibuscunque causis, quam a viscerum nobiliorum notabili læsione, dependens, & non admodum inveteratus hic affectus, non

D

nun-



nunquam curationem admittit; quodsi, prout communiter fieri solet, in ætate provecioribus, decrepitis, hecticis, aut marasmo senili affectis subjectis, loco sudoris colliquativi, ex motus tonici depravatione, evenit, tunc prognosis ejusdem non erit optima, ita ut saltem levamen quoddam ægrotis aliquando in hoc morbo procurari queat, loco plenariæ vero curationis unice palliativa locum inveniat, teste GOHLIO, *Prax. clinic. p. 456. §. 5.* Unde etiam SENNERTVS *prax. med. Lib. III. P. VII. Sect. II. cap. II.* talem sistit prognosin: *Malum hoc plerumque lethale, imprimis si non mox in principio cognoscatur, eique idoneis remediis occurratur, hominemque ad tabem & mortem tandem deducit, & præcipue in senibus vix unquam curatur.*

## §. XXXI.

Forfan plures his recensitis accenseri & in hunc numerum æquo jure, præcipue si ad casus specialiores & individuos respicere vellemus, referri possent morbi, nisi temporis & chartæ angustia id ipsum prohiberent. Unicum saltem adhuc casum, qui mihi sub directorio Celeberr. Dn. D. KELLNERI, Consiliiarii & Medici Aulici Isenacensis, Patroni mei summe devenerandi, obtigit, subjungere licebit. Studiosus quidam Theologiæ, 24. annorum, temperamenti melancholico-chole-rici, siccioris habitus colorisque ex flavo pallidi, antea nullo morbo, exceptis quandoque torminibus colicis, ex diætæ vitiis obortis, laborans, lautæ diætæ & vini potui a primis annis nunquam adsuetus, academi- cis autem annis finitis fere per annum mensa fruens opipara, largam narium hæmorrhagiam aliquoties ex- peritur.



peritur. Cessante hacce lassitudinem & gravitatem artuum persentiscens, die 29. Martii currentis anni orationem sacram è suggestu recitat, & die 31. ejusdem mensis, animi recreandi gratia, in pagum quendam vicinum exspatiatur. Die primo & secundo Aprilis pressionem in hypochondrio sinistro, & circa vesperam cardialgias, quas tamen a male forsitan concocto cibo provenire sibi persuadet, sentiens, quatuor mensuras cerevisiæ dilutioris, ut eo facilius vomitum promoveret, exhaurit. Lectum petens, cardialgiam & conatus vomendi augeri sentit, quibus, dum situm in abdomine eligit, actualis vomitus succedit. Parum dehinc curans qualem evomuerit materiam, somnum capit cum euphoria, mane expergefactus matulam inspiciens, sanguine illum repletam deprehendit, unde auxilium quaerit, recipitque pulverem rhabarbarinum, & quoniam de reliquo, excepta pressione & cardialgia, optime se habebat, nil sibi mali praesagiens, parum jusculi carnis circa meridiem assumit. Post meridiem in hypocauto obambulans ac cum amicis verba miscens, stimulum ad alvum deponendam sentit, ubi sub paulo velociori descensu per scalam iterum in larga copia sanguinem coagulatum atrumque evomit: Obtinet hinc de novo à Medico mixturam quandam ex Ess. Millefol. & Liquor. mineral. anod. Hoffm. post cujus usum sudor circa horam tertiam ad quintam usque, satis insignem foetorem spargens, erumpit, alvusque quatuor vicibus, cum excretionem tetraë materiae, pessime itidem olentis, solvitur; hora nona vespertina iterum largus vomitus subsequitur, unde assumit pulverem temperantem, ast



absque levamine, siquidem calor & sitis augeantur, totamque noctem infomnis ac viribus destitutus transigat; hora quarta matutina vomitus, cum larga excretionem coagulati putridique sanguinis, de novo tragediam aperit, languor cum siti ingravescit, pulsus est celer & parvus, exhibentur hinc sitim & æstum temperantia ac confortantia, externe in hypochondrio sinistro fomenta cum aceto calido adplicantur, sed omnia incassum, pulsus magis magisque debilior redditus, intervallo horæ dimidiæ plane non perferuntur, summa difficultas respirandi ac cardialgiæ superveniunt, sicque 4to die Aprilis, circa horam nonam placide expirat. Morbo huic, qui non absimilis erat *morbo nigro Hippocratico*, nullo modo mederi potuisse, quilibet facile percipiet. Ponderus materiæ per vomitum excretæ ad XII. vel XIV. libras assurgebat, fatisque etiam notabilis ejus quantitas per alvum rejecta fuerat. De reliquo etiam prioribus recensitis morbis annumerari adhuc possent hæreditarii, consuetudinales & habituales, videlicet Epilepsia, Melancholia, Mania, alique; ast & hos, ne in nimiam molem tractatio hæc excrescat, jam omittimus, transitum ad reliqua, quæ monenda adhuc supersunt, facturi.

§. XXXII.

Pergimus itaque nunc ad illos morbos, in quibus ex metu graviorum supervenientium symptomatum, per ipsam experientiam jam confirmatorum, non alia, quam palliativa curatio locum habet. Tales vero imprimis sunt hæmorrhoides fluentes, ulcera tibiærum inveterata, fistulæ ani per longum tempus toleratæ, & ulcera



ulcera mammarum cancrofa non admodum recentia, quorum indolem peculiarem paucis quoque lustrare lubet.

§. XXXIII.

*Hæmorrhoides* itaque *fluentes* sunt profluvium sanguinis ex intestino recto contingens, & vel ex vasis hæmorrhoidalibus externis, circa ejus orificium, vel ex internis paulo profundius eveniens. Non opus erit, ut diffusiori stylo fluxus hujus utilitatem demonstremus, cum omnibus fere abunde satis illa cognita sit, atque ægri, quamprimum suppressæ sunt hæmorrhoides, & exinde varias molestias circa viscera abdominis perferunt, Medicum accedentes adfectuum suorum causam statim subjungunt & suppressionem istam accusant. Plura autem de emolumentis legitime succedentis fluxus hæmorrhoidalis testimonia, prostant in Dissert. Excell. Dn. D. ALBERTI de *Hæmorrhoidibus longævitas causa*. Quemadmodum etiam mensium moderatus, justus & liber progressus in sequiori sexu optimam promittit sanitatem, sic & hæmorrhoides convenienti tempore & modo fluentes, in masculino sexu non minus illibatæ sanitatis spem præbent, indeque non raro cum ipso mensium fluxu in foemellis exacte conspirare solent. Vid. Dissert. modo nominati Dn. D. ALBERTI, de *Hæmorrhoidum & mensium consensu*.

§. XXXIV.

Si igitur molimina hæmorrhoidalia, fluxum moderatum tandem producentia, tanta nostro microcosmo emolumenta adferunt, quanta ergo ex istius suppressione, vel obstructione, damna in eum redundabunt?



exinde quippe translationes sanguinis partim ad viscera hypochondriaca, partim ad alia hæmorrhagiarum consueta loca excretoria, ut ad caput, ad pectus, renes, vel vesicam urinariam, unde hæmorrhagia narium, ratione ætatis incongrua, hac vero non succedente Apoplexia aut sanguinea, aut serosa, (sicuti Excellentiss. Dn. D. SCHVLTZIUS in Dissert. Altorfi habita, de *Viro apoplexia ex inconsulta hæmorrhoidum suppressione extincto*, casum recenset,) item hæmoptysis & inde pertimescenda phthisis, vomitus, aut miæctus cruentus, mox infarctus lienis, hepatis horumque obstructio, imo nonnunquam ulceratio, melancholia hypochondriaca, Hydrops, (prout HIPPOCRATES *Sec. VI. aphorism. 12.* testatur: *A diurnis sanato hæmorrhoidibus, si una non servatur, periculum est, aquam intercutem, vel tabem advenire;*) asthma, tussis convulsiva, vertigo, adfectus lethargici, arthritici, nephritici, podagrici & colico-iliaci eveniunt. BARTHOLINVS in *Act. Hassnienf. Vol. III. obs. 18.* casum adducit, ubi hæmorrhoidum suppressio eadem symptomata, qualia mensium retentio post se trahere solet, excitavit. WEDELIVS quoque in *amanit. mat. med. p. 511.* post suppressum miæctum cruentum apoplexiam abortam fuisse refert: Miæctus autem cruentus spontaneus in provectioris ætatis subjectis nil aliud est, quam vicaria hæmorrhoidum evacuatio, dum venæ vesicæ & hæmorrhoidales externæ ab uno venarum trunco simul proveniunt, unde etiam quidam isti hæmorrhagiæ titulum *hæmorrhoidum vesicæ* imposuerunt. Confer. *Acta Med. Berol. Dec. I. Vol. VI. p. 48.*



*Ulcerata tibiæ in veterata* quid sint, res ipsa loquitur; quare autem inconsiderata eorum consolidatio haud secure suscipi possit, paucis nunc demonstrabimus. Fundamentum potissimum in consuetudine positum est, quæ non immerito altera natura vocari meretur: Ulcus enim, per tantum temporis spatium toleratum, indolem colatorii communis induit, per quod varii generis pravi humores se- & excernuntur; consolidato igitur tali ulcere materia peccans, per hanc viam tamdiu excreta, restagnat, & ad alia colatoria naturalia partesque nobiliores transfertur, unde tunc asthmata, respiratio impedita, catarrhus suffocativus, palpitatio cordis, tussis, rheumatismi, febres periculosæ, hujusque generis alia adhuc pejora incommoda, eveniunt. Confirmat id HIPPOCRATES *de morbis popularibus Lib. IV.* his verbis: *Si habenti ulcus in una ex tibiis sordium serosarum fluxu privetur, ac purum & aridum evadat, deinde lateris & pectoris dolor e directo tibiæ adfæ superveniat, lethale.* Sic HAGEDORNIVS *Hist. med. phys. Cent. III. hist. 67.* ex ulcere tibiæ intempestive curato totius corporis intumescenciam; & HILDANVS *obs. med. chirurg. Cent. III. obs. 39.* ex ulcere inveterato, in crure sinistro, ab empirico sanato, post menses aliquot Pleuritidem in latere sinistro abortam, eamque lethalem, observavit, ubi durante morbo talia, qualia ex ulcere antea prodibant, æger exspuebat. Addam his adhuc casum mihi notissimum, qui in sequentibus consistit: Cognatorum meorum quidam, temperamenti sanguineo-phlegmatici, ex improvisa allusione ulcera  
in



in ambabus tibiis sibi contraxit, ac per triginta sex toleravit annos. Durante hoc tempore a compluribus Medicis consilia petiit, quos inter non pauci ulcerum sanationi quam maxime inhiabant, præmissis quidem lympham corrigentibus. Quotiescunque autem ulcerum consolidatio aliquo modo adparebat, toties universi corporis lassitudinem perentiscebant, donec post aliquot dierum decursum Pleuritis vera succedebat, quæ tamen plus simplici vice artis beneficio, restituto saniei fluxu, iterum evanescebat. Tandem anno ætatis sexagesimo quarto proprio nisu, absque ullo adhibito medicamento, ulcera concidebant & exarescebant, unde quarto dein die morbus consuetus de novo scenam suam aperiebat; ulcerum ergo apertio & materiæ revulsio per vesicatoria aliaque convenientia remedia quam maxime urgebatur, sed absque desiderio successu, tussis enim die quinto plane sicca superveniebat & die morbi sexto summa pectoris oppletio vitæ imposuit finem.

## §. XXXVI.

*Fistulam ani* consideraturi dispecimus eam in *patentem & latentem*, quarum una præ altera curatu difficilior est, & præcipue ejus indolis fistulæ, quæ ad vesicam, vel uterum usque transeunt, quæque ultra digiti longitudinem per intestini recti tunicas, duro callo obductæ, serpunt, coxæ & sacrum os infestant, nullam plane, ob impossibilem operationem, concedunt curationem. Fistulæ quoque ani, uti a diversis inducuntur causis, sic & secundum illarum diversitatem magis vel minus rebelles sunt; a causa quippe venerea propullu-



pullulantes, mitiores, recta adhibita methodo, sese gerunt, ab hæmorrhoidibus vero dependentes contumaciores sunt, imprimis latentes, vices quippe harum adimplent, etsi fere continuo motus hæmorrhoidales ipsis juncti sint. Ex his quid in fistula ani inveterata, præcipue ex causa hæmorrhoidali, tentandum sit, perspicimus, eadem enim inducit consecutaria, quæ a suppressione hæmorrhoidum expectanda sunt. Optime igitur in statu inveterato ægrotantibus consulere gestiens, minora ut majoribus præferantur periculis sedulo inculcabit, quoniam & veritatem, & utilitatem hujus consilii plures confirmant observationes. Sic RIEDLINVS in *Lin. med. Ann. II. p. 131.* casum mercatoris, tolerabilioribus quibusdam ani fistulis, ad cavitatem usque intestini recti penetrantibus, molestati, recenset, sub quibus, quousque earum apertura fuit conservata ac serum corruptum exinde prodiit, per septem annos, absque ulla molestia, negotiis suis incubuit: Simul ac autem hæc fistulæ fuere occlusæ, languor statim universum corpus occupavit, succedente respirandi difficultate & tumore pedum œdematoso, tandem sub invalescente animi facultatum majori debilitate, tertio die Apoplexia successit, quæ eundem etiam è vivis sustulit. Confer. etiam quæ *Hulder. PELARGVS quinque partit. Practic. Vol. I. p. 469.* hac de re monet. Non minus etiam SENNERTVS *Prax. med. Lib. III. part. 2. sect. 2. cap. 13. p. 426.* extirpationem ani fistularum non admodum esse securam adfirmat.

§. XXXVII.

Circa *ulcera mammarum cancrofa* quoad nostrum scopum

E

pum



pum præcipue notamus, quod, quamdiu Cancer adhuc *occultus* vocatur & *recens*, tamdiu spes reconvalescentiæ per dextram operationem non plane abjicienda sit, quanquam alienam de eo sententiam foveat HIPPOCRATES, dum *Secf. VI. aphoris. 38.* ita scribit: *Cancros occultos habentes melius est non curare, curati enim cito pereunt, non curati vero longius tempus perdurant.* Et sane non inepte hæc dicta sunt, siquidem ante operationem cancer non rite dijudicatus, aut sinistra manu extirpatus, facillime majori ferocia recrudescit statusque sic in pectus mutatur, minima portio specifici illius miasmatis, cancerum constituentis, pristinum statum de novo introducere valet, unde expertum & peritum exposcit iudicem. Sub ambigua ergo tali rerum constitutione tutius omittitur operatio, quoniam hæc peracta non raro in pristinum recidunt statum. De statu canceri exulcerato, quidve sub illo agendum sit, non opus erit, ut plura moneam, cum in vulgus etiam notissimum sit, quod optima quæque remedia respuat, & quasi in deteriore statum redigatur, & plerumque remedia uni indicationi satisfaciencia, alteri sint contraria, specifica autem genuina adhuc dum desiderentur. Proinde etiam fortiora quælibet magis nocent, mitiora autem parum profunt, & si res quoque optime cedat quoad consolidationem ulceris, massa tamen sanguinis jam jam inquinata est, & hinc materia peccans facile ad interiora transfertur, indeque non raro phthisis lethalis subsequitur. Melius ergo & securius procedimus, si ex duobus malis minus eligamus, quoniam si prodesse non possumus, saltem non obesse debemus. Plura videantur



tur apud HAGENDORNIUM *Histor. med. Cent. III. hist.*  
 72. p. 375. Conf. quoque *Ephemer. N. C. Dec. I. An. VIII.*  
*obs. 21.* RIEDLINVS *Lin. med. An. I. M. Octobr. obs. 3. p. 326.*  
 WEDELIVS *amænit. mat. med. Lib. I. Sect. II. cap. VII. p.*  
 100. ELLERVS *obs. med. chirurg. p. 40.*

§. XXXVIII.

Nunc quoque ulterius casus quidam specialiores  
 & rariores considerandi essent; at & hic fateri tenemur,  
 quod multa quidem sint, quæ scimus, sed longe plura,  
 quæ ignoramus: Quot enim exempla prostant mor-  
 borum, quorum causæ nullo plane modo, etiam a so-  
 lertissimis & prudentissimis Medicis, nisi demum post  
 mortem, investigari potuerunt? Pauca saltem horum  
 illustrationis gratia subjungere lubet. Sic *Acta Erud.*  
*Lipsiens. An. 1699. M. Mart. p. 397.* cephalalgia, ex glan-  
 dula pineali petrosa exortæ, mentionem faciunt; *Ephe-*  
*merid. Nat. Curios. Dec. I. An. III. obs. 48.* cephalæam a  
 lapillo, intra duram piamque matrem in capite reper-  
 to, & *Dec. III. An. IV. obs. 46.* similem affectum, ex te-  
 redinibus, in aurem dormientis viduæ irrepentibus, ob-  
 ortum adnotant. *Acta Med. Berolinens. Dec. I. Vol. I. p.*  
*40. sqq.* subitanæ mortem ex excrecentia polyposa in  
 cerebro, cum adjuncto casu analogo, describunt. Al-  
 legata *Ephemer. Nat. Curios. Dec. I. Ann. VI. & VII. obs. 97.*  
 pertinacem alvi obstructionem, ab excrecentia carnea  
 intestinis adhærente excitatam, sistunt. ELLERVS *Obs.*  
*Med. chirurg. p. 167.* singultum diuturniorem & lethala-  
 lem, ex abscessu, inter pleuram & thoracis vertebrae si-  
 to, originem suam capientem, recenset. Ex quibus fa-  
 cile apparere poterit, quomodo sæpius, omni licet adhi-



bito studio & diligentia, morbi causa abscondita maneat, adeoque exacta medendi methodus non semper desiderari queat. Nonne ergo tunc palliative procedendum & solummodo symptomata adgredienda sunt? qua tamen ratione etiam nonnunquam contingere potest, ut fortuito & præter expectationem res bene cedat.

§. XXXIX.

Vagus ampliusque nunc ingrediendus est campus, ubi tot erroneæ & devixæ occurrunt viæ, quot in angustis his paginis vix describere possumus; intelligo nempe rationem, qua ægrotantes ipsi veram curationis methodum impediunt, & occasionem præbent, ut non nisi palliativa adhiberi queat, cujus ergo ad minimum potiora momenta causasque adducere allaborabo. Primum ergo impedimentum in eo consistit, si morbi historiam non accurate atque cum omnibus circumstantiis recensent, sed hanc vel illam admodum sæpe notabilem circumstantiam omittunt. Fieri autem hoc potest 1) ob nimiam ægrotantis debilitatem à morbo inductam; 2) ob singularem stupiditatem, cujus intuitu ideas conceptas iterum proponere & communicare non valent; 3) ob memoriæ imbecillitatem, ex variis causis dependentem, sub qua id, quod hodie accidit, crastina die iterum ipsis excidit; 4) ob deficientem internæ corporis sui constitutionis cognitionem, unde sibi varias morborum causas fingunt, secundum quas universum judicant morbum, sicque ex præconcepta opinione summe necessariorum ne quidem mentionem faciunt; 5) ob singularem pigritiam, cujus intuitu multi solo ex tædio & morositate, ne quidem os  
ape-



aperiunt, Medicumque ex solo externo adſpectu, aut geſtibus, omnia hariolari poſſe, credunt; 6) ob ignorantiam efficaciam idioſyncraſiam perſonalis & hæreditariarum diſpoſitionum, quæ idcirco ab iis non indicari, & à Medico conjectura non aſſequi poſſunt.

§. XL.

Proinde etiam immatura & inepta pudicitia, in ſexu præcipue ſequiori, hic accuſanda venit, dum nempe virgines juniores honorem virginitatis ſe ſtatim perdidiffe credunt, ſi de tributo lunari ordinato interrogantur, vel etiam contra decorum ſe peccare autumant, ſi de reliquis muliebribus circumſtantiis cum Medico nondum maritato colloquantur, putantes, hæc magni momenti eſſe ſacra, quæ occultanda magis, quam propalanda eſſent. In ſexu nobiliori tales quoque non deſciunt, qui myſterium ex propriis morbis faciunt. Nonnunquam morbo quodam ſe infamari metuunt, quales ſunt affectus venerei, impotentia virilis, &c. unde ſemper diverſas alias cauſas accuſant, ſicque ipſi efficiunt, ut exoptatus non obtineatur finis.

§. XLI.

Proinde etiam tales occurrunt, qui nimium ſibi ſapiunt, & ſuperfluis aut affectatis verbis, imo immixtis rationibus, ſtatu morboſi enarrationem obſcuram & Medicum ipſum dubium reddunt, minutias exaggerant, ac nunquam cardinem rei tangunt, in ſermone ſe interrumpi ægerrime patiuntur, ab extravagationibus in rectum tramitem reducti ſtatim iterum omnia commiſcent. Contrarium dein obtinent lo-



cum Stoici, ad alterum extremum delabentes, periculofissimas circumstantias parvi pendentes, ac sæpius Medicum, absque sua culpa, nimis securum reddentes.

## §. XLII.

Porro etiam serius nonnulli Medicum consulunt, postquam altiores jam egit radices morbus, quos tamen OVIDIVS recte monet:

*Principiis obsta, sero medicina paratur,  
Dum mala per longas invaluere moras.*

Tunc enim vel unicum præscriptum medicamentum universi causam morbi tollere debet, insuperque non continuato ordine, sed tumultuarie Medici auxilium implorant, malo paulisper mitigato statim medicamenta seponunt, donec duplicatis viribus iterum morbus scenam suam ludat. Pariter quoque diffidentia in Medicum multum hic damni adfert; recte enim GALENVS monet, quod *fides ac spes erga Medicum sæpe plus efficiant, quam ipsa cum Medico medicina.*

## §. XLIII.

Contumacia & inobedientia ægrotantium frustrationem quoque sæpissime reddit curationem legitimam, & ad palliativam saltem suscipiendam invitum licet Medicum cogit. Præsente enim hoc, omnia ordine & constituto tempore, secundum præscriptionem, se adsumpturos esse promittunt, post ejus discessum vero omnia negligunt, quæque antea prohibita fuere, in usum vocant, gravissimosque quoslibet errores in regimine committunt. Non minus etiam adstantes multum huc conferunt, dum omnia secundum per-  
versum



versum ægrotantis placitum, ut eo facilius ipsius gratiam ineant, approbant; idcirco quoque HIPPOCRATES in primo statim aphorismo optime inculcat, *ut non solum Medicus ad ea, quæ factò opus sunt, præsto sit, sed & æger, & illi, qui præsentibus sunt, & res externæ ad id probe comparatæ sint.* Alii ægrotantium ab hoc vel illo ex vitio naturali se abstinere posse negant, pulveres ex idiosyncrasia, tanquam securo morositatis asylo, se abhorre- re, pilularum deglutitionem sibi impossibilem esse, ob negotiorum multitudinem morbum diu se tolerare non posse, pertinaciter sustinent, pluraque alia proferunt, quæ patientiam Medici quam maxime infringunt. Alii medicamentorum sunt heluones, & quæ pluribus vicibus assumere debent, simul ac semel ingerunt, quove plus caperent, tanto majorem utilitatem se obtenturos esse sibi persuadent, juxta tritum illud: *viel hilff viel.*

§. XLIV.

Non minus etiam curationem plenariam & legitimam impediunt ii ægrotantes, qui aliena, incio Medico ordinario, ac sæpe noxia & perversa medicamina, vel varia inepta domestica, præcipue ab imperita manu & mulierculis, ultra sexum & gradum sapientiam affectantibus, commendata, adhibent, quos recte jam jam perstrinxit Celeberr. Dn. D. ALBERTI in *Diff. de Cura per domestica.* Maximam fere difficultatem, quoad perfectæ sanitatis restitutionem, præbent ii, qui animi pathematibus nimium quantum iudulgent, siquidem nil magis omnes actiones in corpore nostro turbat, mor- bique sanationem retardat, quam graviorum animi

com-



commotionum frequentia, unde etiam attentiores Practici gravissimam earundem noxam ægris quidem sedulo exponunt, utque ab iis abstineant, hortantur, sed exiguo plerumque, vel nullo cum effectu.

## §. XLV.

Tandem quoque singularis illa ægrotorum impatientia huc referenda est, cujus intuitu, si adhibitum quoddam remedium promte & momentaneè quasi effectum suum non exserit, statim desperant, & quorsum se vertant nescii, præscripta reponunt, per aliquod tempus iterum expectant, an forsan naturæ beneficio morbus profigetur, morbo autem sic ingravescente, de novo auxilium Medici implorant, hocque iterum non illico subsequente, sub maxima inconstantia & impatientia ab uno ad alterum confugiunt Medicum, ubi dein plerumque posteriores, quæ à prioribus adhibita fuerint, ignorant, sique forsitan antea per minus convenientem medicationem turbatus fuerit morbus, atque posterior talem metaschematismum non statim, vel nunquam, ob ægri morositatem, rite cognoscere potest, utique sic à nullo firmam fidamque curationem sibi in fine promittere valent. Possent quidem adhuc plura ex parte ægrotantium adduci obstacula, quæ prohibent, quo minus rationalis & vera causalis methodus locum habeat, sed mitto ea, cum principaliora hæc allegata sufficiant, pluraque enumerata present in Dissert. Illustr. STAHLII de morosis ægris, prudentiam Medici fatigantibus & flagitantibus, & Excellentiss. Dn. D. ALBERTI de Curatione divotum difficili.

## §. XLVI.



§. XLVI.

Restant ergo nunc ea, quæ ad ipsam *methodum insituendi curationem palliativam pertinent*. Suscipitur vero ea tam in externis, quam internis morbis, diversa ratione, prout nempe morbi status id postulat. Ad *externam palliativam curationem* pertinent omnes species cosmeticorum, artificiales artuum appositiones, ut manus, pedis, nasi, aurium, dentium, & sic porro, quæ quidem per aliquod tempus ægrotantibus levamen præstant, attamen perfectam integritatem procurare non valent. Quoniam autem in universa hac tractatione externorum morborum superficiale saltem mentionem fecimus, ita hic quoque ea, quæ alias adhuc notanda essent, omitimus, ne cramben bis coctam L. B. adponere velle videamur, cum Illustr. b. m. WEDELIVS in *Diff. de Cura palliativa* Jenæ An. 1703. habita, potissimum illos pertractaverit; quare nunc specialius ea, quæ circa internos morbos observanda sunt, perlostrabimus.

§. XLVII.

Si igitur palliativa curatio unice in symptomatum ablatione, aut mitigatione, absque respectu ad causas morbi veras, consistit, facile inde patet, quod re vera omnes methodorum medendi species huc jure meritoque, sed certis sub conditionibus, referri queant, tot enim diversa occurrunt symptomata, quot individuales morborum causæ existunt. Methodus etiam quædam respectu unius morbi erit causalis & rationalis, quæ ratione alterius solummodo palliativa & superficialis nominari meretur; sic quoque nonnunquam methodus in fine & declinatione morbi adhibita, rationalis, si vero ab initio & sub prima morbi invasione statim in usum vocatur, palliativa, ne dicam sæpius lethifera, evadit: Medicum enim, sublatis morborum causis, symptomata, aut si fieri poterit, utrumque simul respicere decet. Dum ergo tam diversi hujus methodi sunt gradus & modi, utique hinc necesse est, ut modo per universalia, modo per particularia & specifica, mox per expectationem & privativam solummodo curationem, mox per derivantia & revellentia, quandoque per interna, & interdum per externa, prout nempe circumstantiæ id exigunt, absolvatur, quæ omnia vero brevibus & pau-



cis hęc paginis haud contineri poterunt, unde præcipuas tantum & frequentiores circumstantias, pro ulteriori dilucidatione hic subjungam, quoad reliquas autem L. B. ab Celebrerrimum BOERHAVIUM remitto, qui in *Institut. med. §. 1244.* ad finem usque, methodum laudabiles curationes instituendi eleganter tradidit.

§. XLVIII.

Per *noxiam curationem palliativam* intelligo talem, ubi symptomatum remotione semper malum priore majus inducitur. Primum itaque locum sibi hic vindicant *opiata*, soporifera, somnum cientia, dolores quidem ad tempus supprimentia, & quasi insensibilitatem corpori conciliantia, sed materiam, ob quam hi motus fiunt, & per quos eadem removenda est, parum aut certe plane non respicientia. Somnum enim in remissione sensuum in- & externorum consistere, neminem fugit, quippe omnium nostrarum actionum, & simul eorum quæ extra nos contingunt, dormientes non sumus conscii; vigilantes vero omnia externe evenientia per sensus percipimus, adeoque medicamentum illud, quod somnum inducere valet, mentem a sentiendi alacritate abalienare debet. Talem autem effectum Opium vel crudum, vel correctum, exserere, quotidie experimur, distinctum solummodo pro diversitate dosium & subjectorum vegetorum, vel sensibiliorum, nihilo tamen minus semper relaxationem motuum ad tempus inferentem. Qualis igitur curatio per opiata impetrari poterit, deficiente materia correctione & evacuatione? nonne palliativa, fucata, & temporaria? Motus nunquam sunt irriti, nec per se oriuntur, sed a causa vel materiali, vel ideali producuntur; ablata itaque causa, effectus per se vel cessabunt, vel tamen mitiores fient. Exemplo jam sint, illustrationis gratia, vomitus, qui modo fortiores & urgentes, modo mitiores & lenti sunt: Ponamus priores a bile acri caustica, in duodenum vel ventriculum regurgitante, posteriores vero a visciditate & cruditatibus in ventriculo collectis provocari: Quid igitur ab initio statim exhibita opiata in ambobus casibus efficiant? nonne in priori bilis acris caustica restabit, tunicas ventriculi & duodeni arrodet, inflammationes harum partium, febres inflammatorias & Leipyriam producet? in posteriori vero resti-

tantes



tantes viscosæ & mucidæ impuritates inappetentiam, cachexiam, & hydropem post se trahent. Qui plura de tali palliativa curatione per opiata desiderat, Dissertationem Illustr. STAHLII de *Impostura Opii*, ubi ex professo de hac materia agitur, evolvat.

## §. XLIX.

Curationibus per opiata, subjungimus nunc scabiei aliarumque cutis impuritarum retropulsionem per unguenta sulphurata, & hujus farinae plura, à peripheria ad centrum peccantem materiam repellentia. Scabies accuratius considerata vel ex contagio, & quidem tam absque sanguinis notabili, quam etiam cum ejusdem magna infectione & dyscrasia, ortum ducet; vel ex nimis in sanguine successive collectis impuritatibus & Lympha depravata, absque concursu alicujus contagii, oboritur, estque tunc vel benigna, vel maligna, cujus summus gradus Elephantiasis & Lepra audit, non omiffa illa, quæ ex venereo fomite originem ducit. Disquirendum igitur est, ubi & sub quibus circumstantiis unguenta sulphurata locum habere queant, vel ubi plane rejicienda sint, aut palliatis saltem curationibus accensenda. Sulphur minerale, ut abunde satis inter Medicos constat, externe pustulas & impuritates cutis repellit, & ad interna viscera materiam ibidem hærentem transfert; interne autem exhibitum scabiem retropulsam ad peripheriam iterum deducit, ob virtutem suam resolventem & humores blande exagitantem qua novam secessionem impuritarum ulcerosarum in M. S. oberrantium inducit, earumque dein translationem ad peripheriam corporis promovet, quemadmodum subtili adstrictoria qualitate, sub externo usu, eandem ad interiora pellit. Quando igitur scabies ex contagio hominem alias sanum & satis laudabili sanguinis crasi præditum invadit, tunc præmissis ab initio statim corrigentibus & evacuantibus, facile sulphurata externa locum invenient; ubi vero, licet a contagio dependeat, per notabile jamjam tempus ægrotum illa detinuit, & lympham nimium inquinavit, tunc non nisi post omnimodam lymphæ correctionem & depurationem partiumque corruptarum evacuationem in usum vocanda erunt, id quod tanto magis de reliquis ejus speciebus gravioribus & pertinacioribus notandum erit, alias enim certissime peri-



periculosa & non raro funesta pertimescenda sunt consecraria, de quibus aliqua saltem exempla allegasse sufficet. Sic BAGLIVVS *Prax. med. Lib. II. cap. IX. §. III. num. IX. p. 247.* plures ex scabie retropulsa, vel male curata, emergentes recenset morbos, videlicet sputum sanguinis, apoplexiam, Hydropem, febres chronicas, &c. simulque exemplum ex HIPPOCRATE annectit, de Hydrope, scabiem retropullam excipiente, lethali. RIEDLINVS *Lin. Med. Ann. III. M. Jul. obs. 14.* Hecticam, post ineptam scabiei curationem abortam, describit. SENNERTVS *Prax. Med. Part. III. Sect. II. cap. 44.* puerum quendam ex scabie, linimentis retropulsa, in cœcitatem & febrem incidisse, & accedente Epilepsia subito mortuum esse, refert.

§. L.

Tandem etiam Chinæ chinæ cortex, imprudenter & inconvenienti tempore exhibitus, inter remedia palliativam curationem promoventia referri meretur, maxime in febribus intermittentibus, si absque prævia evacuatione materiæ peccantis in usum vocatur. Quoniam vero de ejus noxio & salutari usu celeberrimi Medici fusius jam jam egerunt, quibusve sub circumstantiis pro fundamentali curatione admitti queat, demonstrarunt, lubens hic subsisto, coronidis loco saltem adhuc exempla quædam curationum palliativarum subjungens. Sic HILDANVS *Cent. I. obs. 4.* refert, quod puellæ cuidam, nescio quo casu, margarita in auris cavitatem incidere, unde inflammationes, cephalæa, atroxque epilepsia evenerint, quæ nullis adhibitis remediis, licet præstantissima illa fuerint, mitigari potuerint, donec tandem HILDANVS advocatus ad solam margaritæ extractionem respiciens, eamque feliciter perficiens, plenariam restitutionem procuravit. Sic ergo ab initio curatio erat palliativa, in fine autem causalis. ELLERVS *Obs. med. chirurg. p. 178.* in fistula perinæi, a calculo vesicæ orta & cum febre hectica juncta, palliativam talem curationem profert. Non minus etiam *Timæus à GÜLDENKLEE Lib. VI. cas. 17. p. 277.* in pruritu circa muliebria, quo illustri profapia scæmina molestabatur, palliativam curationem describit. Sed sufficiant hæc. Summo autem Numini pro præstito adjutorio & auxilio, nec non concessis viribus sit

LAVS, HONOR ET GLORIA.



01 A 6597

ULB Halle

003 092 429


3











DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**CVRATIONE  
PALLIATIVA,**

15.  
12

QVAM,  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,  
SVB PRAESIDIO  
**DN. D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERI,**

SAC. PALAT. CÆS. COMIT. CONSIL. ET ARCHIAT. CÆSAR. S. R. I. NOBILIS,  
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRÆSID. CHTM. PROF. PVBL. ET FACVLT.  
MED. ADSESS. ORDINAR. NEC NON REG. BEROLIN. SOCIET.  
SCIENT. SODALIS,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,  
**PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
ATQVE IMMVNITATIBVS**

RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISICTIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**GEORGIVS LVDOVICVS ROSA,**  
ISENACENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,  
HORIS CONSUVETIS,  
DIE XI. DECEMBR. M DCC XLII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad, Typogr.